
LIBRARIÆ COLLEGII
MAIOR CRACOVI

Laski Joannes.

Statorii Petri: In clariss. Viri D. Joannis a Lasko obitum funebris oratio.

Pinczoviae. Dan. Lancicius 1560.



IN CLARISSIMI VIRI D: IOANNIS A Lasko Poloniæ Baronis obitū, Funebris oratio, conſcripta & habita à Petro Statorio.



IMPRESSVM PINCZOviæ in officina Danielis Lancicij. Anno. 1560.

M.co viro D. Nicolao Ossolinsky
Equiti polono.
F. Lysmaninus d. d.

1a

PETRVS STATORIVS Tonuillanus Clarissimo viro Frãcisco Lismanino. S.

CVM per valetudinem ac summum animi dolorem, præstantissimo viro Ioanni à Lasco funebri oratione parentare non posses, vti institueras, optime Lismanine: mihiq; hoc munus demandasses: tibi parere malui, q̃ tenuitatem meam modeste excusando, morosus ac proteruus videri: Hanc igitur orationem tuo nomine ac hortatu conscripsi, habui & in lucem edidi: quod equidem maximum mediocritati meæ præsidium fore confido. Quippe cũ eruditis ac candidis nihil displicere possit, quod iudicij tui suffragio niti videbitur.

Vale.



VAE RES DVAE
nobis plerunq; silen-
tium imponunt, Am-
plissimi viri, et mihi
nunc, ne temerè ad
dicẽdum prodirem,
vehementer obstiterunt: exigui inge
nij consciẽtia, & publicus dolor, quo
ita sum perculsus, vt vix cogitãdi, ne-
dum eloquendi mihi integra facultas
relicta esse videatur. Sed & me pu-
dor quidam ingenitus diu multumq;
ab hoc amplissimo cõsessu vestro re-
traxit. Quorundam tamen autoritas
eam mihi dicendi necessitatem impo-
suit, vt diutius reluctari nefas putaue
rim. Tria igitur in primis non modò
timorem omnem animo meo excusse
runt, sed & ad dicendum nõ leue cal-
car addiderunt. Primum enim silẽ-
tium meum turpe fore iudicaui, cum
apud me perpenderem funebriũ ora-
tionum consuetudinem omnium secu
lorum maximorumq; virorum aucto
ritate niti. Quònam igitur pacto ho-

neſte obmuteſcerem, cum non modo
Eccleſię huius lumen extinctum, ve-
rum etiam Polonię decus & ornamē-
tum cecidiſſe animaduerterem: Dein
de operępretiū duxi, mœrorem atq;
luctum hunc publicum, quoad eius
fieri poſſet, aliqua conſolatione leni-
re: ac nonnullis reſpondere, qui Ec-
cleſiæ noſtrę ſalutē cum noſtri huius
chariſſimi Parentis morte coniungūt:
tum etiam inanem eorum lætitiam ac
præpoſterum gaudium dolendo elu-
dere, qui de huius herois obitu ouā-
tes gloriantur. Poſtremò, cùm luctu
& lachrymis plena omnia viderem,
veſtrumq; candorem ac modeſtiam
intuerer, eam orationē hoc quidem
loco ac tempore neceſſariam iudica-
ui, quę nō laſciuo ſplendore fulgeret,
ſed vndiq; lugubris ac funereo quodā
ſquallore ſituq; horreſceret. Dicam
igitur, Ampliſſimi ac ornatiſſimi viri,
de clariſſimo viro Ioanne à Laſco,
quem difficilimis Eccleſię noſtrę tem
poribus, arcano Dei conſilio, nobis

ereptū

ereptum esse conspicitis. Cuius vita omnis quum æterna memoria dignissima sit, copiosam eius descriptionē historicis relinquens, eam vobis velut in tabula proponam, vt suauissima ipsius contemplatione, dolorem quem hominis obitu cōcepistis, mollire tādem & paulatim excutere possitis. Maxime verò lętor mihi de Indię miraculis, aut fabulosis Heroum virtutibus non esse dicendum: sed de eo viro, qui in vestris fere ōnium oculis vixit, cuius amplissimæ virtutis fama omnes Europę angulos perlustrauit: qui Regibus principibusq; non modo notissimus, sed & charissimus fuit. Deniq; (vt cætera ornamēta prætercam) qui in propagandis Regni Christi finibus non postremam bonorum omnium iudicio laudem est assecutus. Si ab ipso rerum primordio familias quasdam excitauit Dominus, in quibus heroes ac omni virtutum genere præstantissimi viri velut hæreditario iure florerent, meo

3a

quidem iudicio, imò omnium bonorum sententia, Lascorum domus, ex qua noster hic heros prodijt, in earũ numerum optimo iure referri debet. Etenim, ne vetustiora illa repetam, quis magni illius Archiepiscopi Io: à Lasco huius patrui præclaras virtutes ignorare potest, qui memoriæ nostrę historiã mediocriter teneat? Quæ animi magnitudo? Quę in rebus agẽdis prudentia? Quæ liberalitas? Quæ mansuetudo atq; erga omnes humanitas? Quæ deniq; morum integritas, & (vt tunc quidem erant tempora) pietas ac sanctimonia? Ab isto minime degenerauit Hieronymus nostri frater, quem si Epaminundis, Themistoclis, Scipionibus æquauero, eorũ quidem nihil detraxero laudibus, nõ tamen satis de ipsius virtutibus me dixisse censebo. Hunc adeo pertinaci studio æmulatus est frater Stanislaus, vt vix quo altero alter fuerit præstantior, statuere possis: nisi quod in illo vehementiora omnia, in hoc sedatiora

ra fuerunt. In hunc verò nostrum fra
tris vtriusq; virtutes adeo suaui tem-
peramento iunctę confluxerunt, vt
qui ipsum viderit, eos minime sit ig-
noraturus. Herculea enim Hierony-
mi fortitudo in hunc ita deriuata est,
vt non inferior in regni Christi hosti-
bus oppugnandis expugnandisq; fue
rit, quàm ille in Barbaris inuadendis
atq; superandis inuictus extitit. Se-
data vero Stanislai prudētia sic in hoc
nostro eluxit, vt gemelli inter se non
sint similiores. Tanto igitur hic fuit
illis præstantior, quanto singuli pecu
liaribus quibusdam virtutibus cele-
bres fuerunt, noster autē vtriusq; do-
tes cōplectens, laudē quoq; duorum
suo iure sibi vendicauit. Quod si præ
clarę indoli plurimū momenti affer-
re solet liberalis & diligens educatio,
neutrum hercle nostro heroi defuit.
Qui cum per ætatem firmioris iudi-
cij nōnihil esset assecutus, quo flagra
bat disciplinarum omnium studio, do
mestica institutione non contentus,

 Italię

4a

Italię, Gallię, Germanięq; celeberri-
mas quasq; Academias adijt, vt insa-
tiabilem illam literarum sitim exple-
ret, vel aliquo tandem modo leniret.
Quî enim animus ille infinitus rerũ
cognitione iuuenilibus annis expleri
potuit, quum iam fracto annis ac la-
boribus corpore literarum studijs se
pasceret: Deniq; Latinas atq; Græcas
literas, adeoq; disciplinas omnes quę
liberalem animum decent, ita perdi-
dicit, vt magnos literarum Antistites
Italos, Gallos, Germanos æquauerit,
suis autem gentilibus omnem litera-
rum laudem præripuerit. Quod elo
gium siquis ei detraxerit, ille mihi
parum candidus, imo liuidus, ac ini-
quus, ineptusq; rerum æstimator ha-
bebitur. Hic igitur literarum virtu-
tisq; ornamẽtis conspicuus ad nõ po-
stremos Ecclesię illius Romanę hono
res euehitur. In quo sane vitę genere
tãtam apud omnes gratiã iniit, vt sui
ordinis principem locum facile obti-
nuerit: nemo sane proceribus grati-
or, ne

or, nemo multitudini augustior, nemo in egenos largior, nemo deniq; in peregrinos & aduenas clementior atq; humanior fuit. Huic virtutum choro cumulus accedebat singularis modestia: rara eorum comes qui gratia & opibus cæteros antecellunt. Verùm vbi Diuino Spiritu duce errores ac impietatem Pontificum agnouisset, & à clarissimo viro Huldrycho Zvvinglio purã Euangelij religionẽ edoctus fuisset, minime sibi cunctandũ ratus, serio veritatis studio animũ applicuit. Quanquam veró ipsum nõ latebat, quæ pericula, quas ærumnas, quas molestias secum ferret veritatis professio: tamen otio illo, splẽdore, atq; opibus, quas quidem propter veritatem noxias impiasq; iudicauit, minime constringi potuit, quo minus Euangelij facem quæ sibi clarè affulserat, intrepide sequeretur. Eo quidem infinitis alijs præstantior, qui ob fluxas opes & euanidum splẽdorem â veritate ad mendacium deficiunt

5a

ciunt. Ipse veró Deum summum bonum esse statuens, ea q̃ à vili hominũ turba bona putantur, secure contempsit, & instar magni illius Israelitarum Ducis, probrum Christi ferre maluit, quam adoptiuus Pharaonis filię gnatus appellari. Cum enim sibi a serenissimo rege Sigismundo Cuiauiensem Episcopatum traditum audiuisset, ipse principem adijt, & cur id munus suscipere non posset, palam ostendit: quo sapientissimus ille rex non modo non est offensus, sed & vltro commendatitias literas ei ad omnes principes concessit. Tam alte pectori plane heroico insederat Dei amor, ac vitę immortalis cupiditas. Hoc veritatis æstro veluti percitus charissimam patriam deserit, quę tũ temporis nullum fere veritati locum reliquerat. In Germaniam cum venisset, post non multũ temporis, iam præclara Diuinæ sapientiæ monumẽta edidit. Ita vt eius nomẽ celebrari, & latius extendi fama ceperit. Erudi-

doctis

tis

tis primum iucundissimus ac impri-
mis alacer promouendę Christi glo-
rię adiutor fuit. Deinde Principes vi
ri huius amicitiam & consuetudinē
maximi sane fecerunt: ac honorarijs
muneribus frequenter ornarūt. Quæ
quidem omnia ego inter præclarissi-
ma Dei dona numerare soleo: Iam
igitur Ioannes à Lasco Ecclesiarum
curam sūma quidem fœlicitate susce-
perat, ac veritatis hostes cum Anaba
ptistas tum alios errones multis di-
sputationibus crebró superauerat: cū
Britannis Euangelij lumen affulsit,
sanctissimę memorię Edoardo Rege,
huius nominis sexto regnum admini
strante. Eó igitur ardentissimus Di-
uinę gloriæ assertor hic noster profe-
ctus est: vt pro virili nascentem Britā
norum Ecclesiam iuuaret ac promo-
ueret. Vbi innotuisset, tanta fuit e-
ius cum doctrinę tum pietatis admi-
ratio, vt Regis ac Senatus prudentis-
simi decreto peregrinarum Ecclesia-
rum, quę Londini florebant, Sum-
mus

mus Antistes fuerit constitutus, amplissimumque illi decretum stipendiũ, & ea conditione illud onus subijt:, vt si forte in patriam Ecclesiæ restituendæ causa reuocaretur, libere ac sine vlla cuiusquam offensione discederet. Eam prouinciam sic administrauit, vt breui temporis spatio, admirabilis fructus doctrinæ, pietatis, prudẽtięque (quæ summa in ipso erãt) apparuerit. Eo verò amplior eius laus habenda est, quo munus illud grauius atque difficilius fuit. Ausim quippe asserere trium aut quatuor millium hominum curam illi incubuisse: quorum vt publicæ saluti studebat, ita singulorum priuatim diligentissimam curam gerebat: Sic omnes velut in vna familia cõnstituti ab vno patre sine vlla acerbitate regebantur: omnes eum in Domino patrem colebant, ac verebantur. Eo igitur Præsule tandiu incolumis floruit peregrinorum Ecclesia, donec inde Christus ob gentis illius ingratitudinem castra mouere

statuit

ſtatuit. Cùm iam Romanam tyranni-
dem caput attollere vidiſſet, ſuũ iam
iam diſpergendum gregem moni-
tis ſalutaribus aduerſus tentationes
muniens, ac optima quęq; remanere
volentibus precatus, ipſe cum vxore
ac liberis, & non parua virorum ac
mulierum turba nauem conſcendit,
vt Eccleſiolę ſuæ nouas ſedes quęre-
ret. Orta verô ingenti procella mul-
tum diuq; agitatus fuit, ita vt iamiã
impendente naufragio ſeſe ſuosq; li-
beros tranſtris ac malo nauis alliga-
uerit, ſi forte viui aut mortui litus a-
liquod tandem attingerent. Mul-
torum dierum atq; noctium tem-
peſtate nonnihil ſedata Hambur-
gum appulit, vbi cum ob veram de
Euchariſtia ſententiam ſibi hoſpitium
negari videret, in Daniam media hye-
me cum ſuis nauigat. Vnde cum ob
eandem cauſam eſſet exactus, mor-
bis ac tempeſtatibus exagitatus, in
Germaniam defertur. Vbi nihilo mi-
tiori hoſpitio vſus, quàm in medijs

Baltici

Balthici Oceani fluctibus, tandē Frā-
cofordiam quę ad Menum est, perue-
nit: audiuerat enim pijssimum illius
vrbis Senatum ijs qui ex Anglia pro-
fugi erant, liberrimum atq; tutissimū
hospitium præbuisse. Quæsitas igi-
tur sedes Frācofordię inuenit, atq; po-
suit, tandemq; à grauissimis labori-
bus, periculis, morbisq; nonnihil re-
spirauit. Quid autē de inuicta Herois
nostri constantia dicam, qui tot ærum
narū turbine iactatus, nō modo non
cessit malis, sed nullum vnq; mollio-
ris animi signum edidit: cui inq; in-
grauescentibus aduersis, nouę sem-
per vires, nouę fortitudinis copię cre
uerunt. Adeo vt quosdam suos comi
tes tot calamitatum mole fractos sua
virtute recreauerit, & ad mortem ꝓ
veritate libenter adeundam anima-
uerit. Post eas tempestates à vobis in
patriam reuocatus est, Amplissimi vi
ri, vt Ecclesiæ Christi inter vos repul
lulanti opem aliquam & adiumentū
afferret. Ille qui Germanię Britannię,
q; tot

q; tot labores impenderat, inter alia fœlicitatis suę signa numerauit, quod tandem in patria Euangelij thesauros sibi diuinitus creditos explicare posset. Nihil enim totis fere viginti ærũ nosissimi exilij sui annis aliud à Deo O. M. optauit, quàm ut vel extrema senectute apertam Euangelio fenestram in sua patria videret: Tũ enim sibi mortem minime acerbam fore, imo verò sese læto animo ex hoc terreno carcere discessurum. Annuit igitur pijssimis votis Dominus, adeo vt sanctissimus senex regnantem in Polonia Christum non modo viderit, sed & pręcipuus regni ipsius administrator extiterit. Vos omnes appello, clarissimi auditores: ipsi enim mihi testes estis, quantę accessiones Ecclesię nostrę factæ huiusce Prophetæ opera & consilio fuerint. Vt enim doctrinæ & rituum sacrorum puritatẽ ab hoc Parente nostro allatam silentio pręteream, annõ integerrimę vitę exemplar & velut archetypus fuit: vi

ri no-

8a

ri nobiles atq; patritij morum grauitatem suauissima lenitate temperatam, omnesq; virtutes quibus liberi atq; ingenui à seruis & obscuris distinguuntur, ex hoc velut vberrimo fonte haurire potuerunt. Ad huius viri amussim verbi Dei pręcones sese totos effingere magna cum auditorum vtilitate atq; sua laude valuerunt. Etenim quid in Episcopo requirit Paulus, quod in hoc nostro Præsule non fuerit cumulatissimum? O quibus gregis Christi cura demandata est, hunc perfectissimum typum uobis ob oculos ponite, eum mortuum sequimini, qui vobis viuus cum summa laude vel aduersariorum testimonio pręiuit. Date operam ne lupi rapaces huius discessu audaciores facti, vestrum, imo Dei ouile dissipent. Efficite, inquã, vt omnes intelligant, vos tanti præceptoris veros atq; fidos discipulos atq; imitatores esse. Adolescẽtes verò alium ne Socratem optare potuerunt, cuius non tam præceptis quàm moribus

ad

ad omnium vitiorum fugam adducti virtutum suauissimum odorem imbiberent? Erat viri species veneranda ipsa quidem, sed quę admirabili humanitate durissimum quenque molliret, ad seque alliceret. Quod diuini oris non præstabat eloquentia, (multi enim præfracti orationi non cedunt) vi extorquebat morum iucunda suauitas. Quæ res, meo quidem iudicio, ipsius ministerio magnum pondus attulisse videtur, pręsertim cum nō desint qui buccis inflatis Euāgeliū quidē profitentur, sed si opera & mores inspicias, nihil ab ethnicis differant. Ne autem mihi singula eius ornamenta enumerentur (quod ne fieri quidem potest) charitatis illum ardorem, sine quo nullus est Christianus, in eo mirari subit. Quàm enim ardenti pectore Deum amarit, ex ijs quę dicta sunt, perspicere licet. Qua dilectione suos fratres complecteretur, cū aliàs, tum in hoc extremo vitę actu apparuit. Etsi enim lōgissima &

9a

acerbissima ęgritudinę cõflictatus est, quãdiu è Germania reuersus nobiscũ vixit, adeo vt vix aliquando menstru as inducias à morbo impetrarit, tamen nunquam ita sibi indulsit, vt ab ijs cætibus abesset, in quibus suam operã fratribus profuturam iudicaret. Imo verò sæpius admonitus, vt suam ætatem afflictissimam respiceret, nec sese itineris periculis & incommodis obijceret, respondere solebat, vt viuam non est opus, Vt autem Ecclesiæ adsim, maxime necesse est: non me Dominus ad otium, aut delicias, sed ad labores & crucem vocauit. Hæc mea est vita, quod me Domino & ipsius Ecclesiæ seruire certo scio. Adeo infracto animo dolores illos acerbissimos ferebat, vt qui eũ consolaturi accederent, solatio indigere viderentur, postquam ipsum de malorum tolerãtia differentem audiuissent: quam reipsa magis quam oratione ostendebat. Quoties verò ex intimo pectore Deo gratias egit, quod se his morbis ex-

cura

Responsio pia et sancta

bis exploraret, atq; excoqueret, vt in
die Christi purissimus appareret, be-
neficium tantum sibi inprimis gratu-
latus, quod huiusmodi ærumnæ ad il
lustrationem Diuinæ glorię pertine-
rent. Hisce remedijs vsq; ad extre-
mum vitę diem aduersus tentationes
sese muniuit. cuius vestigia si nos se-
quuti fuerimus, non est dubiũ quin
idem malorum nostrorum exitus sit
futurus. Quoniam autem est verisi-
mile, veritatis hostes prodigiosas fa-
bulas de nostri huius Parentis mor-
te confícturos esse, ne illud quidẽ præ
tereundũ esse duxi, qn de ipsius obi-
tu aliquid commemorarem. Pri-
die ergo eius diei quo in patriam cę-
lestem abijt, quanq; vis morbi eum
grauissime vrgebat, ac effuse aluus
soluta erat, tamen vt erat affabilis,
multa pie sancteq; cum clariss. viro
N. Olesnicio, & ornatissima fæmina
D. Sandecensi contulit, illas inpri-
mis turbas dolens, quas prophani er-
ronis audacia in Ecclesia nostra exci-

tatas videtis: Deumq; orans vt affli-
ctę suæ Ecclesiæ tandem adesset, ac
mederi dignaretur. Quas equidem
turbas (vt mihi certo polliceor) Do-
minus in suam gloriam, nostramq; sa
lutem conuertet. Sub noctem gra-
uius periclitari cæpit, adeo vt plane
iam de longiori eius vita desperatum
fuerit. Testantur fide digni qui ei cu
stodes adhibiti erant, eum tota nocte
quam fere insomnem duxit, sæpissi-
me Deum appellasse, lingua quidem
Germanica qua frequentius cum vxo
re vtebatur. Postridie qui Ianuarij
fuit octauus, occupante iam fauces
pituita, cum animum suũ in Dei ma-
nus incredibili affectu commendas-
set, nullam postea vocem emisit. Ita
festinante in cælum anima, placide ac
tranquille in Domino spectantibus
nobis obdormijt: Non minus ergo
tanti viri obitus laudis habet, quàm
vita plurimis virtutibus illustrissima.
Adeo vt veritatis aduersarij nihil iã
habeant, quo nostrę religioni ob ali-
quem

quem parentis huius nostri næuum
insultent. Quoniam autē ex nostris
nonnullos video qui salutem Ecclesię
huius iam periclitari ob Prophetę no
stri obitum putant, his quidem pau-
cis respondendum esse putaui. Ac
primum sane fateor eo sublato ingens
vulnus nostrę Ecclesię inflictum fuis-
se. Nec dubitarim asserere, Deum ne
quissimę & ingratissimæ vitæ nostræ
iratum, nobis eum eripuisse, quo vi-
uo plurima herclè à Deo beneficia
sperare nobis licebat. Cum enim se-
lectissimum atq; nobilissimum Spiri-
tus sancti organum esset, quis nō vi-
det eius ministerio Ecclesiam nostrā
quodam modo stetisse? Quemadmo
dum igitur Deus olim suū populum
acerbe puniturus, Senes ac sapientes
prophetasq; tollebat, sic minimè du-
bito quin eodem nunc supplicio sui
contemptum vlciscatur: Quænam
defuncto Mose fuit Sāctę illius Reip.
dissipatio? Quæ calamitates Regnū
Saulis post Samuelis obitum concus-

 serunt?

eruntę Quæ deniq; Iudęorum miseria fuit, sublata è medio prophetia, cũ iam nullus esset qui familiariter cum Deo loquens, populum officij admoneretę Nònne, inquam, Sapientibus illis sublatis, ac vatibus extinctis, pseudoprophetarum impostura Diuina Lex cultibus idolorum atq; dæmonũ corrupta estę O Deus altissime ac imprimis misericors, iustissime quidem nobis Prophetam ac Sapientem quẽ dederas, sustulisti: verum ne tuæ Veritati propter nostra flagitia obstrepant & cachinnantes insultent reprobi, cultum tuum verum & salutarem inter nos tueri & propagare velis, nosq; tuo Spiritu ita ducito, vt quod est hactenus à nobis erratum, seria tandem vitiorum emendatione sarciamus. Quanquam igitur, vt dictum est, huius obitu viri, quem mortuum optimo iure lugetis, pijssimi auditores, grauiter sauciata est Ecclesia: nõ est tamen quod quispiam adeo sit pusillanimis, vt lethale vulnus esse arbi-

tretur

tretur. Si quis enim ita cogitat, nec
ab ea sententia deduci potest, equidē
humanis prȩsidijs Ecclesiam Dei ful-
ciri statuit, quod sine atroci in Deum
contumelia cogitari non potest. Plan
tabat enim Paulus, irrigabat Apollo,
verū Deus ille segetem fæcundabat.
Nobis autē diuina misericordia non-
nullos adhuc reliquit plantatores atq;
irrigatores, adeo vt de incremēto sit
nobis optime sperandum. Huic igi-
tur qui humanas vires adhuc suspicit,
Deum quem non videt, leuiter æsti-
mans, Ecclesia quidem interibit: non
enim quicquam ex ea fructus perci-
piet, quam corruisse putauerit. Au-
diuistis iā, charissimi auditores, quā-
tis laudibus nostrum Parentem or-
nauerim: quas vobis perpetuò com-
mendatas esse cupio. Verum nōnul-
los fuisse mihi persuadeo qui illustrē
virum Ioannem à Lasco potius ob fa-
miliȩ ātiquum splendorem, q̄ ob ex-
cellentissimȩ religionis puritatem ad-
mirarentur. Quos non mirū est ita

deiecto esse animo, cum inter domũ fragilem, & sempiternam Dei domũ non distinguant. Vbi enim columen familię absq; liberis defunctum videt, domui ruinã imminere iudicant. Nec id perperam quidem. At longe alia est æternæ domus ratio, cuius Deus immortalis est columen, & inuictus propugnator. Vobis igitur, auditores optimi, qui Ecclesiam non hominum sed Dei auspicijs stare atq; florere persuasum habetis, tandem nouus aliquis exurget Lascus, qui hũc luctum ac lachrymas vestras absterget, ac sepultum vestrum gaudiũ fœlici Ecclesię administratione excitabit. Quod si etiam talis heros vobis serius affulgebit, nolite interea remissiori esse animo, aut moram illam impotentius ferre: sed sanctorum exẽplo, qui tot annorũ curriculis Messiam illum patienter expectarũt, huiusmodi Pastorem, imo quamplurimos ardentibus votis à Deo Op: Ma: cõtendite: qui cum nunq; sui sit dissimi-

lis,

lis, procul omni dubio, pias vestras orationes audiet. Sed prophanos homines nouo ac plane insolito gaudio exultantes audio, quod nostrū Eliam desiderari conspiciunt. An verò id gaudium an manifesta sit phrenesis, ex euentu ipsi iudicabūt. Si enim Romani Pōtificis clientes huius mortem sibi gratulantur, duabus de causis id faciunt. Aut enim eum sublatū esse gaudent, quod ipsorum hypocrisi formidabilis erat: aut quod sibi persuaserint nostras copias nunc iam expugnatu faciliores esse. Ac sane prius illud mihi imprimis verisimile est. Si enim noster ille in certamen istos prouocasset, quisnam eius impetum sustinuisset? Euocati fuissent peregrini sophistę qui cum eo pugnassent. Cur igitur tum Sophistarū (vt aiūt) acerrimus atq; impudentissimus Canisius cum aliquot alijs suæ cohortis nebulonibus huc venisset, nostro huic bellum non indixit? scilicet animus male sibi conscius hunc nostrū antesi-

13a

gnanũ veritatis armis ac cælesti pa-
noplia instructum ne eminus quidẽ
intueri sustinuit. Si verò nunc expu-
gnatu faciliorem Ecclesiam nostram
illi putant, cur eam non euerterũt an-
te quam noster ille propugnator suas
vires nobiscum coniungeret? Multò
enim ꝙ nunc erat imbecillior: illi ve-
ro multo potẽtiores videbantur. Nũc
verò multis ac nouis præsidijs aucta
est, Domino suum regnũ in dies fæli-
citer propagante. Porro quisnam in-
ter eos est qui in medium aduersus
nostros prodire audeat? Blesus ille
fortasse Paterculus, quem noster he-
ros dum viueret suis coloribus egre-
gie depinxit: cui si aliquid frontis Ro
ma & cruenti galeri ambitio reliquit,
domi sese, vt quidem suadeo, contine
bit. Cæteri autem heroes, qui totam
molem Romanæ Ecclesiæ in hac no-
stra Sarmatia humeris sustentare vi-
debantur, iam extincti sunt: adeo vt
paucissimi supersint, qui in are-
nam aduersus Christum queant, vel
potius

potius audeant descendere. Quorum si audacia tandem Christo apertū bellum indixerit, quid aliud eos manet quam sempiternū exitium? Sed in eo miseri plane fascinati sunt, quod dū maxime Christū oppugnant, eius se gloriam imprimis tueri arbitrantur, nisi forte iam quidam illorum reluctante conscientia ob pinguiores offas cum Deo pugnant. Si verò nostri huius obitum in lucro ponit Stancarus, qui vix à Romanistis quicquā differre videtur: vel eorum aliquis qui temere hominis furiosi vesaniam sunt amplexi, quid aliud de eo dicā, nisi quod solita vertigine circumagitur? Vita enim Ioannis à Lasco, & admirabilis modestia Stancaro inprimis vtilis erat. Nec enim Stancarū vti dignus est, pro sua humanitate tractauit: plurimiq; illius exēplo adducti, quo minus Stancaro iure infesti essent, sibi temperarunt. Etsi verô sibi persuadet Stancarus se vno flatu nostros omnes euersurum, est tamen eruditis notissimū

14 a

simum quam sit formidabile ipsius a-
cumen, cui si maledicentiam caninam
detraxeris, mutus plane aut vehe-
menter ineptus remanebit. Domi-
nus ergo omnes canum latratus co-
hercebit, & huiusmodi Hercules suo
tẽpore excitabit, qui Cerberum ace-
phalum facilime conficient. Tum sa-
ne Stãcarus sibi cõtigisse sẽtiet quod
ijs accidit quos nocturna ditant insõ
nia, experrecti vero pristinam inopi-
am deflẽt. Quare, auditores obseruã
dissimi, cum causam Christi agamus,
ne obsecro paucitate ac imbecillitate
nostra animum deijciamus: veridi-
cis ac immutabilibus Dei promissio-
nibus freti, qui tum demum victori-
am suis tribuit, cũ iam deplorati vi-
dentur. Impij sane suos fumos super
be iactant, ac velut potiores futuri,
dira & horrenda pijs minantur: De-
us autem è cœlo ipsos ridet ac sub-
sannat: idq; suo tempore: vt discant
pij Dominum patiẽter expectare do
nec ad victoriam, eorumq; salutẽ ac
impiorũ

impiorum perniciem prodeat. Quan
quam igitur hactenus Dei causam ne
gligenter egimus: ita vt ignauię no-
strę iratus, pręstãtissimo hoc viro nos
optimo iure priuauerit tamen cùm
sit nobis pater clementissimus, qui in
salutem non in perniciem pœnas su-
is infligit: vnicum superest huic ma-
lo remedium, vt vero ingratitudinis
nostræ sensu acerbissime puncti, mi-
serrimam sortem nostram non simu-
latis lachrimis defleamus, votisq; ex
intimis animi medullis manantibus
ab eo petamus, vt indignationem er
ga nos conceptam propter illum de-
ponat, qui ne nobis in æternum infe
stus esset Pater, eum sibi velut iratũ
experiri voluit. Spiritus sui igne re-
dundantem animi nostri corruptelã
ita exhauriat, ne in posterum aduer
sus eum calcitremus. Nosq; ad se iu-
umq; verbum amãdum cæterisq; om
nibus rebus anteponendum ita inflã-
met, ne ardor hic vllis cupiditatum
eluuionibus ac torrentibus vnq; ex-
tingua-

tinguatur. Ne in posterum nos san-
ctissimo suo nomine abuti patiatur:
sed quemadmodum Christiani dici-
mur: tales etiam reipsa efficiamur.
Ne posthac nostro cætui infamiæ no
tam inurant, qui ore magnifico De-
um iactantes, factis impijs eum abne
gant. Facessāt ea omnia flagitia, quę
vel ethnicorum & barbarorum legi-
bus seuerissime coercentur. Pudeat
nos tot annis Christianę temperantiæ
præcepta audiuisse, nec tamen hilū
profecisse. Ne deinceps furiosis illis
ac impuris Dijs litemus, ne ex nostris
ædibus Baccho atq; Veneri delubra
faciamus. Donorum Dei abusum di
ligentisse caueamus. Imprimis autem
nos moueat non lucri cupiditas, quę
hactenus animos nostros occęcauit,
sed gloriæ Diuinæ propagatio: in hāc
inquam omnes neruos intendamus,
quandoquidē in ea nostrę salutis car-
do vertitur: Ne in posterum Euan-
gelium meditemur, quod fluxas o-
pes afferat, sed quod animos cœlesti
bus

bus copijs atq; diuitijs ampliſſimè cu-
mulet. Eccleſiæ amplificandę ac iu-
uentutis inſtituendæ vobis maxima
cura ſit: quæ res imprimis à noſtro
hoc chariſſimo parente ſæpius vobis
commendata eſt: imo quam ſemper
quoad vixit, diligentiſſime pręſtitit.
Quod ſi nos ita geſſerimus, tanti ſa-
ne viri iactura, Domino annuente,
ſummo cũ noſtro gaudio tãdem ſar-
ciri poterit. Iam non mortuus dice-
tur Io: à Laſco, cuius hinc ad cœlos
diſceſſu vos pullatos atq; lachrimis
diffluentes video: cum Chriſti inter
nos cultus vigebit incorruptus, atq;
florida regnabit veritas. Ita ſemper
nobiſcum viuet ille, quẽ vos vti mor-
tuum iam defletis. Quod ſi tanti vi-
ri conſuetudine priuati, vobis dolen
dum eſſe putatis, ſcitote has lachri-
mas, hunc mœrorem, hunc luctum
amicitię illius veſtrę fructum nõ eſſe.
Sane cum ſimilitudo animorum ſit a-
micitię fundamentum, animuſq; idẽ
(quem olim corpori iunctum colui-
ſtis

stis) vobis irrupto vinculo cohęreat, cur, si vestri similes estis, amicitiã adhuc integram, quasi disrupta esset, lugetis? Sunt, mihi credite, longe potiora amicitię vestrę argumenta. Si enim eius instituta & mores imitari, retinere & obseruare studebitis, maximum pristinę illius consuetudinis fructum referetis. Præterea cum tantum dimidia sui parte à uobis absit, alteram enim vobis conspicuam reliquit, honestissimam, inquam vxorẽ, & generosam copiosamq; prolem, cuius vos, tutores atq; nutritios ipse cõstituit, iam tandem lugubrem hunc cultum deponite. Hic, inq;, admirã dę illius amicitię vestræ indolem exerite. Afflictissima uidua, cuius erga virum pietas atq; obseruantia vobis omnibus notissima est, procul à patria, ab amicis, à charis parẽtibus, in hac turbulenta rerum confusione vestram fidem atq; opem implorat: ipsi liberi charissimo parente orbati, solo nutu sese vobis tanquam patribus

bus suis tradunt. Nec verò dubito, nobilissimi auditores, quin ad hæc pietatis munera obeunda per vos sat propendeatis: hoc tamen vt vos admonerem, effecit ipse pietatis affectus. Vt verò tandem intelligatis iā sat lachrimis indultum esse, ponite vobis ante oculos afflictam præstantissimi Senis nostri ætatem, & quāta nūc fœlicitate fruatur, expēdite. Si enim dolendi nullus neq; modus neq; finis erit, iam non amici sed vestri causa vos mœrere, optime quis dixerit. Verū paulo ante docuimus, cur hinc nulla immedicabilis doloris causa nobis nata esse videatur. Siue igitur eum, quem mortuum putatis, siue nostrā Ecclesiam spectare volumus, nō modo nulla nobis est data lugendi occasio, sed incredibilis gaudij materia. Quis enim felicis ac beati sortem vnq; lachrimis prosecutus est? Quis autem hunc nostrum fœlicem ac beatū esse dubitauerit? Spiritus quidē sanctus Beatos esse pronūtiat qui in Do

mino moriuntur. Hic verò noster in Domino non modò placide, & graui iam ætate mortuus est, sed & fœlicissime vixit. Quorsum igitur lachrymę nostrę? An vt humanitatis & teneri animi argumenta sint? Atqui firmos ac robustos nos esse iam tandem par est. Nolim tamen existimetis, auditores clarissimi, me tam pręcise Stoicũ esse, vt homines naturalibus priuem affectibus, sed hoc tantum exigere, ne luctus noster vitiosus aliquo modo videatur. Impij ac deplorati quos repentina mors inuaserit, potius lugendi sunt, qui æternis cruciatibus torquentur. Hic enim humanã sympathian prodere minime quidem vitiosum putauerim. Cur autem ne nobis quidem huius obitus doloris sed gaudij materiam attulerit, paucis accipite. Primum nisi vehementer liuidi sumus, hanc æternam ac summam fęlicitatem ei inuidere non possumus imò gratulari debemus, vt assiduos grauissimi morbi conflictus taceam,

cum

cum quibus noctes atque dies exhau-
sto iam corpori luctandum erat. De-
inde quanquam interdum à mortife-
ra pugna respirabat, totumque induciarum tempus ad Ecclesiæ vtilitatem cõferre volebat, nullius tamen pudoris fuisset, prompta quidem illa sed vehementer imbecilli confecti senis opera abuti. vt iam aperte profiteretur Senex modestissimus, se suum cursum iam peregisse, alijsque lampadem tradidisse. Hæc cum ita sint, nemo non videt gaudij plenum huius obitum esse. Nec sane dubium est, quin aliquorum socordia & stupor iam excitetur, hoc sublato, cuius humeris secure nitebantur, abiecta quodammodo sui muneris cura. Quanquã verò id ex modestia profectum arbitror: suo tamen vitio minime caruit: nec enim dum vni omnia modeste tribuuntur, cessare debet singulorum officij ratio. Hoc igitur pacto nos excitauit Dominus, ne in posterum vllum ignauię locum relinquamus, Sed

 quid

quid iam video, humanissimi audi-
tores? Nimirum optatum orationis
meę fructum finemq; sum assecutus.
Absterse sũt vestrę lachrymæ, luctus
omnis euanuit. Vos repentino gau-
dio & lætitia perfusos esse perspicio.
An quod nostrum præstantissimum
heroem abstersis lachrimis in cœlo
candida indutum stola & laurea insi-
gnem sedere inter Angelos conspici-
tis? Quod, inquam, hoc sublato, Di-
uino presidio vos non esse orbatos,
sed nouo quodam & insolito robore
donatos sentitis? Deniq; iam certissi-
mis rationibus conijcio, vos validis-
sima spe esse confirmatos, Ecclesiam
hanc vestram, nullis tyrannorum vi-
ribus, nullisq; hęreticorum machinis
moueri, nedum euerti ac in nihilum
redigi posse: adeoq; omnes impiorũ
conatus aduersus eam inualidos atq;
irritos fore. Dominus Deus noster
vos toto vitę curiculo sancto Spiritu
intra iustitię suæ limites ita contine-
at, vt iustorum demum gloriam con-
sequamini.

ſequamini: vtq; inuicti per anguſtā ianuam ingredientes, relictis ac ſpo- liatis veteris illius Anguis exuuijs, nouo innocentiæ amictu induti, bea- torum in patriam, perpetuo fœlices futuri veniatis, vbi præſtantiſſimus il le Laſcus Dux olim vobis à Deo da- tus, perfectiſſima iam beatitudine po titus vos expectat.

Dixi.

IN OBITVM IOANNIS A Lasko epicedium, quod epita- phij loco eſſe poteſt.

Quem circũ turba hęc pullo ſtat ſyr- mate? Laſcum,
Quem mors funeſto vulnere fixit atrox.
Sed cur rauca ſilent ſacris in turribus æra?

Nota sat est virtus, non eget alma
sono.
Cur tenebrę? & nulli exequijs immiti
bus ignes?
Non temere noctis signa timenda
vides.
Scilicet extinctũ (vel Momo iudice)
lumen
Sarmatię ac Solem funera cæca no
tant.

DE EODEM.

Sarmatis ora, Deus, Germania, &
Anglicus orbis,
Me genuit, rexit, detinuere diu.
Me mea terra tenet, Deus in sua reg-
na recepit,
Tu cum Germanis Anglica turba
vale.

Annus

Annus, & mensis, quo obijt clarissi-
mus vir Ioannes à Lasco.

AEgo Ceron LInqVIt, rapItVr reX
PhæbVs In VrnaM:
EXCIsa est LaChII gLorIa VI-
Va soLI.

FINIS.





